

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Omnia Divini Platonis Opera

Plato

Venetiis, M.D.LVI

Anrede

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-254](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-254)

# SIMON GRYNÆVS

CANDIDO LECTORI

SALVTEM.



**R**OBARE uehementer Studium conatusq; & pietatem Marsilij soleo, uiri meo quidem uidere optimi, qui ut philosophiam nobis ueterem gustandam præberet patefaceretq; cum uires suas non ignoraret, nihil curauit de nomine & fama sua quid fieret, modo studijs & ueritati consuleret bene: cum qui propter utilitatem publicam ingenio cedere uelit, nullus facile reperitur. Itaque magnam gratiam manibus uiri debemus ob egregia merita. Ac dolet mihi quidem, delicijs literarum inescatos subito iam homines adeo esse, præsertim qui Christianos se profitentur, ut legere nisi quod ad gulam facit, sustineant nihil, unde & disciplina & philosophia ipsa iam ferè prorsus etiam à doctis negliguntur. Quod quidem propositum studiorum nisi maturè corrigetur, tam magnum rebus incommodum dabit, quam dedit barbaries olim. Pertinax res barbaries est fateor, sed minus potest tamen quam illa persuasa prudentia literarum, si ratione caret, sapientiæ uirtutisq; specie misere mortales circumducens. Nihil enim perniciosius est, quam cum rerum & uerborum studia diuiduntur. Succedet igitur, ut arbitror, haud ita multo post, pro rusticana seculi nostri ruditate, captatrix illa blandiloquentia, robur animi uirilis omne, omnem uirtutem masculam profligatura, nisi cauetur. Itaque mihi libuit, eodem quo egregius ille uir, consilio, translatione ipsius cum exemplari Græco diligenter collata, & pro uirili nostra mendis omnibus iam recens per nos repurgata, Platonis philosophiam quam latissimè, quantum id per me quidem fieri potest, propagare. Nam ut iam olim, cum Græcia Sophistis, uanissimo genere hominum scateret, præstigijs uerborum præcipuos mortalium passim ubique ad se trahente, lingua spirituq; uenali opes sibi conflante, & sapientiæ nomen turpiter sibi uendicante, Socratis & Platonis grauissimis disputationibus breui effectum est, ut inanisimi homines innotescerent orbi: sic puto solida earundem disputationum in pullulanti malo tempestiue occurreretur. Vale lector, & philosophare feliciter.